

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ

DE

CENTONIBUS POËTICIS

CONTINUATIO,

QUAM

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

*Eloqu. Prof. Reg. & Ord. Regg. Societt. Patriot. Holm.
Oecon. Fenn. & Oecon. Wermel. Membro,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

Publicæ censuræ modeste subjicit

DAVID CHRISTIANUS STENIUS,

Wiburgensis.

In Ædibus Scholæ Cathedralis die xvii Jun. MDCCCV.

Horis a. m. consuetis.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

PLURIMUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO
DOMINO

Mag. CAROLO STENIO,

*Ecclesiæ que Deo in Sulkava colligitur Pastori atque
Præposito Meritissimo,*

PATRI BENIGNISSIMO!

*Sanctissimis altaribus ipse tu me docuisti thura mea im-
ponere; ne itaque spernas, quæ exigua & levia, sed
pia in aras paterni amoris ferre volui*

PATRIS BENIGNISSIMI

Filius obedientissimus

DAVID CHRISTIANUS STENIUS.



*Defessi adspicimus. (Quæ caussa indigna serenos
Foedavit vultus?*

VIRGILIUS.

Cum de Centonibus poëticis nuper disputans Clarissimus Philosophiæ Candidatus, *Carolus Gabr. Westzynthius*, temporis pressus angustia, imperfectam reliquerit tractationis telam, arrisit nobis oblata liberaliter occasio labores inceptos continuandi, sperantibus fore, ut, quibus illi non displicuerint, nostros quoque æqui bonique faciant.

Centones igitur Latinos jam perconsituri, temporum, quantum licet, rationem sequemur. Sunt autem qui nobis innotuere

I:O HOSIDII s. OSIDII Getæ Medea, Tragoedia
ex VIRGILIO plenissime, ut habet TERTULLIA-
A NUS

NUS *a*), expressa, & versibus scripta heroicis, quam tamen alii *b*) ab OVIDIO, vel Nasone, vel alio quodam, profectam putarunt, etiam ad manuscriptum Codicem Vaticanum, in quo OFFIDI nomen legitur, provocantes. Facilis ideo error fuit, quod & Sulmonensis ille vates Medeam Tragoediam, TACITO *c*) & QUINTILIANO *d*) laudatam, sed jambico carmine, composuerit. CAJUM vero HOSIDIUM CLAUDIO imperante vixisse & consulares meruisse honores, ex DIONE CASSIO referunt; centonariæque Tragoediæ insigne edidit fragmentum SCRIVE-RIUS *e*).

2:0 Anonymi cujusdam, sed TERTULLIANO propinqui, Tabula CEBETIS Virgiliocentonis habitu induta *f*), jam diu deperdita.

3:0

- a*) De præscriptione adversus hæreticos cap. 39. Edit. PAMELII, p. 339.
- b*) PAMELIUS l. c. p. 367. n. 232 & citati ab eo Auctores. At HOSIDI nomen reposuere in primis VOSSIUS de Poëtis Latinis cap. 2. & FABRICIUS Biblioth. Latin. Edit. ERNESTI T. I. p. 381.
- c*) De Oratoribus, sive de causis corruptæ Eloquentiæ Dialogus cap. 12. Quem tamen FABIO tribuunt alii.
- d*) Infitt. Orat. L. X. cap. 1.
- e*) In fragmentis veterum Tragicorum Latinorum, cit. a FABRICIO.
- f*) TERTULLIANUS libr. cit. p. 339 & 368, n. 233.

3:0 VALENTINIANI II. per occidentem Imperatoris, in nuptias, nescio quorum, lusus e VIRGILIO compilatus, cujus meminit AUSONIUS.

4:0 Ipsius DECI MAGNI AUSONII, quem primum centonem inventorem perperam facit MORHOFIUS a), Cento Nuptialis, THEODOGIO, ut habet PAMELIUS b), dicatus, & ex VIRGILIO itidem, VALENTINIANI Imperatoris jussu, confictus, inter Idyllia tertius decimus. Versibus constat 132, quorum nonnullos, & primo quidem descriptionem egressientis sponsæ, speciminis loco, indicatis plerumque fontibus, inferemus:

Tandem progreditur Veneris justissima cura Æ. 10.
 Æ. 7. *Jam matura viro, jam plenis nubilis annis:*
 Æ. 1. *Virginis os habitumque gerens, cui pluvius*
ignem Æ. 12.
 Æ. 12. *Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit:*
 Æ. 7. *Intentos volvens oculos, uritque videndo.*
Illam omnis tectisque agris effusa juventus
Turbaque miratur matrum, vestigia primi Æ. 5.
 Æ. 5. *Alba pedis, dederatque comam diffundere ventis* Æ. 1.
 Æ. 3. *Fert picturatas auri subtegmine vestes,*
 Æ. 1. *Ornatus Argivæ Helenæ, qualisque videri* Æ. 2.
 Æ. 2. *Coelicolis, & quanta solet Venus aurea contra:* Æ. 10.
Talis erat species, talem se lata ferebat
 Æ. 2. *Ad soceros, folioque alte subnixa resedit.* Æ. 1.
A 2
In

a) T. I. Lib. VII. cap. 3. §. 14.

b) l. c. p. 367 n. 231.

In quibus illud: *intentos volvens oculos*, de pudibunda virgine præter decorum dici, & vocabulum *versiculi undecimi: contra redundare*, non immerito animadvertit HENR. STEPHANUS^{a)}. Deinde adjungemus Epithalamium utriusque conjugum dictum:

- B. 8. *O digno conjuncta viro, gratisima conjunx*
Sic felix, primos Lucinæ experta labores. G. 4.
- G. 4. *Et mater. Cape Mæonii carthesia Bacchi.*
- B. 8. *Sparge marite nuces, cinge hæc altaria vitta,*
Flos veterum, virtusque virum. Tibi ducitur
uxor, B. 8.
- Æ 1. *Omnes ut tecum meritis pro talibus annos*
- Æ. 1. *Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.*
- Æ. 9. *Fortunati ambo, si quid pia numina possunt.* Æ. 4.
- Vivite felices, dixerunt, currite fufis.* B. 4.
- B. 4. *Concordes stabili fatorum numine Parcæ.*

Quorum versiculorum sextum & septimum, propriam legem violando, junctim ut in VIRGILIO, locavit AUSONIUS. Quæ vero epithalamium sequuntur, & in primis ultima centonis particula, quam *imminutionem* inscripsit, adeo sunt obscena & impura, ut

a) In Parodiis moralibus, de centonibus p. 69. Non sane sic imitandus erat VIRGILIUS, qui Æn. XI. 420 Laviniam induxerat *oculos dejectam decoros*. Adjice, quod *os habitumque Virginis* a virgine geri, non commode dicitur. Aptè vero & eleganter de Venere id pronuncia- vit MARO.

ut ipse Auctor, bis erubescens quod & VIRGILIUM fecisset impudentem, excusationem petulantiae in fecenniorum libertate quaesiverit. Neque hoc tamen impedit, quo minus totum Poëma, ut valde ingeniosum & lepidum laudet J. C. SCALIGER *a*).

5:0 PROBÆ FALCONIÆ excerptum e VIRGILII carminibus ad testimonium veteris & novi Testamenti opusculum *b*) quod ab aliis de fabrica mundi & Evangelio, ab aliis de fidei Christianæ mysteriis inscribitur, septingentis, sex minus, versibus constans. PROBAM vero, quam FALTONIAM (non FALCONIAM) perperam appellant nonnulli, CENTONAM inepte alii *c*), uxorem ADELPHI vel ADELPHII, consularis viri, fuisse, quamvis affirmant plurimi, post JUSTUM FONTANINI negavit FABRICIUS *d*). Certius constat PROBÆ nostræ ætatem in HONORII & THEODOSII junioris Imperatorum tempora incidisse, & centonarium ejusdem feminae opus non multo post annum a Christo nato 390 *e*) esse exaratum. Hoc autem in capita, vel centones potius, distribuitur 70, quorum primus titulo caret, reliqui sequentes præfe-

a) Poëtices Lib. I. cap. 43.

b) Sic titulum exhiberi vidimus in Magna Bibliotheca Veterum Patrum, Paris. 1644. T. VIII. p. 708. Totum legitur ibidem ad paginam usque 716.

c) In Editione Lugdunensi anni 1516.

d) Libr. cit. p. 382.

e) SCHROECKH I, c. p. 105. FABRICIUS I, c.

ferunt: 2. Deprecatio ad Deum. 3. De creatione mundi. 4. De divisione lucis a tenebris. 5. De quatuor temporibus anni. 6. Dies primus. 7. Dies secundus. 8. Dies tertius. 9. Dies quartus. 10. Dies quintus & sextus. 11. De formatione primi hominis. 12. De formatione Evæ. 13. Deum protoplastum & Evam benedixisse. 14. Quid prohibitum primis parentibus. 15. De delitiis paradisi. 16. Tentatio per serpentem. 17. Eva seducta seducit virum. 18. Vident se nudos, & faciunt sibi perizomata. 19. Adam abscondit se. 20. Increpat Adam Dominus. 21. Adam se excusat. 22. Maledictum serpenti. 23. Maledictum Adam. 24. Maledictam Evam. 25. Expulsos Adam & Evam e paradiso. 26. Evam peperisse duos filios. 27. Abel a fratre occiditur. 28. Post occisum Abel Deus irascitur humano generi. 29. De Diluvio. 30. Noë servatur. 31. Post diluvium Deus legem dat hominibus, Judæi bello agitantur. 32. De novo Testamento & de Salvatoris nativitate. 33. De nativitate Jesu Christi. 34. De stella & magis. 35. Metuisse Herodem nato Christo. 36. Herodes jubet occidi infantes. 37. Fugit virgo cum filio in Ægyptum. 38. Christus disputat in templo in medio seniorum. 39. Mirantur omnes Christum. 40. Testimonium Joannis de Christo. 41. Christus baptizatur a Joanne, & Spiritus sanctus descendit de coelo. 42. Multos baptizatos cum Christo. 43. Vox de coelo audita est, hic est &c. 44. Omnia vident adveniente Domino. 45. Tentatur Christus. 46. Christus diabolum alloquitur. 47. Diabolus fugit audito Christo. 48. Dominum elegisse discipulos,
❖

Et statim secutos populos. 49. Præcipitur ne colantur idola. 50. De judicio venturo. 51. Quid sibi faciendum foret ut vitam æternam possideret, petiit quidam a Domino. 52. Respondit ei Dominus. 53. Cum Christus in-
 sedit asello. 54. Christum ementes Et vendentes flagello e templo expulisse. 55. Discipuli periclitantur in mari. 56. Christum ambulasse super aquas. 57. De coena Domini. 58. Docet sacramentum. 59. Prædicit ab uno se traditum iri. 60. Apostolos fugisse. 61. Conquestio Petri ad condiscipulos. 62. Sacerdotes cum populo contra Christum. 63. Christus hora sexta deducitur ut crucifigatur. 64. Fit terræ motus Et Sol obscuratur. 65. Christum descendisse ad inferos. 66. Christum tertia die resurrexisse. 67. Foribus clausis apparuisse Christum Apostolis. 68. Instruit Apostolos. 69. Christum apostolis pacem reliquisse. 70. De ascensione Christi. Sed ut melius appareat totius operis tractationisque ratio, unum alterumve seligimus centonum exemplum. Quæ inter exordio eo lubentius primum tribuimus locum, quod præter ultimorum versuum trigam, non fit ex VIRGILIO confarcinatum, sed ipsi poëtriæ a) debeatur.

*Jam dudum temerasse duces pia foedera pacis,
 Regnandi miseros tenuit quos dira cupido,
 Diversasque neces, regum crudelia bella,
 Cognatasque acies pollutas cæde parentum,*

In-

a) SEDULIO peiperam, ex FABRICII judicio, tribuunt alii,

Insignes clypeos, nulloque ex hoste trophæa,
 Sanguine conspersos tulerat quos fama triumphos,
 Innumeris totiens viduatas civibus urbes,
 Confiteor, scripsi: Satis est meminisse malorum.
 Nunc, Deus omnipotens, sacrum, precor, accipe car-
men,

Æternumque tui septemplicis ora resolve
 Spiritus, atque mei resera penetralia cordis:
 Arcana ut possim vatis proba cuncta referre.
 Non tunc ambrosium curæ est mihi quærere nectâr,
 Nec libet aonio de vertice ducere Musas,
 Non mihi saxa loqui vanus persuadeat horror,
 Laurigerosque sequi tripodas & inania vota,
 Jurgantesque deas procerum, victosque penates;
 Nullus enim labor est verbis extendere famam
 Atque hominum studiis parvam disquirere laudem.
 Castalio sed fonte madens imitata beatos,
 Quæ sitiens hausi sanctæ libamina pacis
 Hinc canere incipiam. Præsens Deus erige mentem:
 Virgilium cecinisse loquar pia munera Christi,
 Rem nulli obscuram, repetensque ab origine pandam,
 Si qua fides animum, si veros fusa per artus
 Æ. 6. Mens agitat molem, & toto se corpore miscet
 Æ. 6. Spiritus, & quantum non noxia corpora tardant
 Æ. 6. Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

PROBÆ igitur versus adeo non dixeris infice-
 tos, ut potius, quæ alias, docente principii septi-
mo

mo a), scripserit, non omni caruisse benignæ venæ laude videantur. At iis potissimum, quæ ex Virgilianis sunt conflata, immorari conveniet.

Alterum proinde erit exemplum e duodecimo centone depromptum:

- Æ. 1. *Haud mora, continuo placidam per membra quie-*
tem
- Æ. 4. *Dat juveni, & dulci declinat lumina somno.*
- Æ. 8. *Atque illi medio in spatio jam noctis opacæ*
- Æ. 1. *Omnipotens genitor costas & viscera nudat.*
- Æ. 1. *Harum unam juveni laterum compagibus arctis*
- Æ. 1. *Eripuit, subitoque oritur mirabile donum,*
- Æ. 7. *Argumentum ingens, clara cum luce refulsit* Æ. 1.
- Æ. 13. *Insignis facies, & pulcro pectore virgo*
- Æ. 7. *Jam matura viro, jam plenis nubilis annis &c.*

Tertium præbebit cento sexagesimus quartus:

- Æ. 1. *Interea magno misceri murmure coelum*
- Æ. 6. *Incipit, & rebus nox abstulit atra colorem,*
- G. 1. *Impiæque æternam timuerunt sæcula noctem.*
- G. 1. *Terra tremit, fugere feræ, & mortalia corda*
- G. 1. *Per gentes humilis stravit pavor, inde repente*
- Æ. 12. *Dat tellus gemitum & coelum tonat omne fra-*
gore. Æ. 9.
- B Quar-

a) Docet idem secundi centonis vigesimus primus:
Semper equos atque arma virum pugnasque canebam.

Quartumque demum cento ultimus:

- Æ. 9. *His demum exaltis, spirantes dimovet auras*
 G. 3. *Aëra per tenerum, coeloque invehit aperto* Æ. 1.
 Æ. 4. *Mortales visus medio in sermone reliquit.*
 Æ. 1. *Infert se septus nebula, mirabile dictu,*
 Æ. 7. *Ast illum folio stellantis gloria coeli*
 Æ. 6. *Accipit, aeternumque tenet per sæcula nomen.*
 Æ. 8. *Ex illo celebratus honor, latique minores*
 Æ. 2. *Servavere diem, tot jam labentibus annis.*
 Æ. 6. *I decus, i nostrum tantarum gloria rerum,* Æ. 4.
 Æ. 1. *Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt* &c.

In quibus omnibus multa sunt novæ materiæ fat bene respondentia, nec ita tamen, ut, ex STEPHANA), frigidi laudatoris, mente, illis poëta potius abuti, poëtriæ uti videri possit, nec talia ut hanc alterius christianorum Latinæ SAPPHUS nomine decorare opus habuisset SIXTUS SENENSIS b). Placet vero inter alia haud pauca, etiam istud in vigesimo secundo centone, Dei ad serpentem:

- - - - *latamque trahes inglorius alvum,*
 ex Georgicorum quarto. Sed occurrunt vicissim alia duriuscula & quæ titulis parum vel imperfecte concinant; nec temperare sibi omnino potuit femineæ vates, quo minus profanæ mythologiæ hic illic adhi-

a) l. c. p. 97.

b) Biblioth. Sancta, Venet. 1575 p. 539.

hiberet subsidia a), & epithetis nonnunquam uteretur divina majestate indignis b), quod in non parca parodicae licentiae frequentatione mireris. Neque defunt exempla vel hiantis sententiae, ut in vicesimo primo centone:

*Ille sub hæc: Tua me, genitor, tua tristis imago,
His posuere locis; merui - - -*

nisi prius illud: tua omnia respiciat Dei & munera & præcepta, vel profodicorum vitiorum, ut in centone quarto decimo:

*- - - liceat te voce moveri
Foemina - - -*

ubi pro *liceat* sensus *nec liceat*, pro *femina* idem & metrum *feminea* postulat. Quæ tamen mendoso exemplarium quorundam, & in his nostri, textui forte adscribenda erunt. Offendit demum in centone trigesimo secundo de Maria virgine, quod in **AUSONIANO** de sponsa:

Virginis os habitumque gerens - - -

Sed utcumque judicaverint alii, certe ut apocryphum damnatum fuit **PROBÆ** poëma a **GELASIO** I.

B 2

Pa-

a) Talia sunt Cent. 6. *Nereus*, 18 *hominum sator atque deorum*, 48. *Cocytus*, 57 *Olympus*, 65 *Erebus & Tartara*.

b) Sic cent. 19, *Deus dira fremens & 67. spoliis superbus*.

Papa, narrantibus ISIDORO Hispalensi *a*), QUINTINO & PAMELIO *b*). Editiones scripti, etiam Gallice a RICH. LE BLANC conversi (Parisi. 1553), enumerant FABRICIUS *c*), NOLTENIUS *d*), alii.

6:o POMPONII cujusdam, inter cætera styli fuit otia, Tityrus in Christi honorem, ex PROBA & VIRGILII Æneide, compositus, laudato nuper ISIDORO *e*) commemoratus.

Sequuntur jam, post plurimum sæculorum intercapedinem, recentiores, nempe:

7:o ALBERTINI MUSATI, Patavini, Historici († 1329), Virgiliocento argumenti incerti *f*).

8:o GUIL. INSULANI MENAPII cento Virgilianus & Ovidianus de fratribus rosæ crucis: sæculi XVI. opus.

9:o LÆLII CAPILUPI, Mantuani († 1560) Centones Virgiliani duo, alter de vita monachorum quos vulgo fratres appellant, qui totus apud STEPHANUM

a) De Scriptoribus Ecclesiasticis liber, in Operibus, Colon. Agripp. 1617 excusis, p. 355.

b) Uterque in hujus TERTULLIANO p. 367 n. 231.

c) Libr. cit. p. 382 sqq.

d) Lexici Latinæ lingvæ antibarbari Berol. & Strals. 1780, T. I. p. 2037.

e) Originum L. I. cap. 38, in Operibus p. 12.

f) FABRICIUS. l. c. p. 384.

NUM a) legi potest, versibus absolutus 417, alter de
 lue Gallica, nobis non visus. Et horum quidem ar-
 tifice, laudato etiam a THUANO & POSSEVINO, per-
 fectiorem non solum non inveniri, sed ne desiderari
 quidem posse idem censet STEPHANUS; nec diffite-
 mur imitatoris plurima esse scite omnino delecta &
 subjectæ materiæ adaptata, parodiæque non infre-
 quentem licentiam in scripto jocosò non displicere.
 Initium centonis hoc est:

- Æ. 1. *Ille ego, qui quondam, quum Gallus amo-*
re periret, B. 10.
 Æ. 6. *Noctes atque dies cecini sub tégmine fagi* B. 1.
 G. 2. *Carminibus patriis levium spectacula rerum,* G. 4.
 Æ. 7. *Majus opus moveo. Non hic te carmine*
fictò, G. 2.
 Æ. 5. *Magnanime Ænea, nec te rationis egentem,*
 Æ. 4. *Infelix Dido miseri post fata Sichæi:* Æ. 4.
 Æ. 1. *At fratres rerum dominos gentemque togatam,*
 Æ. 6. *Illustres animas & corda oblita laborum* Æ. 4.
Dicam equidem, fretus cithara fidibusque ca-
noris Æ. 6.
 Æ. 10. *Fatidicæ Mantus. Non omnia possumus o-*
mnes. B. 8.

Præmissa deinde invocatione narrat, quantum a
 primigenia austeritate deflexerit vita monastica, su-
 perstitionis depingit pravitatem atque sævitiam, spe-
 cies

cies classesque fratrum innumerabiles verbo tangit,
habitum cultumque peculiarem ridet, cerimonias tra-
dit religiosas, & piacularia sacra:

Æ. II. *Tempora nudus adhuc, tunicaque inducitur*
artus: Æ. 8.

Æ. 4. *Tum virgam capit, hac animas ille evocat orco.*

Æ. 6. *Hunc circum innumeræ gentes, miserabile vul-*
gus, Æ. 2.

Post alii proceres (vitas & crimina discit) Æ. 6.

Æ. II. *Munera portantes eboris, aurique talenta,*

Æ. 7. *Setigerosque sues, Dodonæosque lebetas:* Æ. 3.

Æ. II. *Prosequitur venia & verbis compellat ami-*
cis. Æ. 2.

Æ. I. *Omnibus exhaustos jam castibus, omnium egenos*

Æ. 6. *Castigatque, auditque, & ad impia tartara*
mittit. Æ. 4. 5.

Æ. 6. *At qui divitiis soli incubuere repertis,*

Æ. 6. *Fulmine dejecti fundo voluntur in imo.*

Perstringit ulterius aviditatem:

Æ. 7. *Conveſtare juvat prædas, & vivere rapto;*

ex nimio otio pinguedinem, intemperantiam, vora-
citatem:

Æ. 2. *Sic animis juvenum furor additus: inde lupi cen-*

Æ. 2. *Raptores atra in nebula rapiuntque ruuntque,*

Æ. 3. *Diripiuntque dapes, contadique omnia foedant.*

Nec mora nec requies, - - -

Æ. I. *Implentur veteris Bacchi, pingvisque ferinæ*

Æ. 7. *Teutonico ritu vertunt crateras ahenos.* Æ. 9.

ef-

effusam postea lætitiā, choreas, libidines:

G. 3. *At non in venerem segnes & dulcia furta,* G. 4.
Egregii forma, & primævo flore juventus. Æ. 7.

Æ. 8. *Defensi tenebris & dono noctis opacæ*

G. 3. *In furias ignemque ruunt. Nec claustra nec*
ipsi Æ. 2.

Æ. 2. *Custodes sufferre valent: amor omnibus idem.* G. 3.

G. 2. *O fortunatos nimium sua se bona norint:*

G. 2. *Non absunt illis saltus, armenta que læta,* G. 2.

Æ. 10. *Cælati argenti sunt, auri multa talenta,* Æ. 5.

G. 2. *Sacra Deum, sanctique patres, & cara so-*
rorum Æ. 11.

Æ. 11. *Pectora moerentum tenebris & carcere cæco*

Æ. 7. *Centum cærei claudunt vectes: & sæpe sine*
ullis G. 3.

G. 3. *Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu)*

Æ. 7. *Relligione sacræ. Non hæc sine numine Di-*
vum. Æ. 2.

B. 4. *Jam nova progenies coelo demittitur alto.*

Æ. 4. *Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.*

Et quamvis metuat derisor, ne quando aboleatur lau-
dabilis Societas:

Æ. 10. *Stat sua cuique dies: breve & irreparabile tempus*

Æ. 10. *Omnibus est. Veniet lustris labentibus ætas, Æ. 1.*
Quum domus & proles subito defecerit omnis.

Æ. 2. *Heu nihil invitis fas quenquam fidere divi;*

addit tamen, pœma claudens:

Æ. 2.

Æ. 2. *Quo res cunque cadent, si quid mea carmina
possunt, Æ. 9.*
 Æ. 9. *Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.*

IO:O JULII CAPILUPI (qui frater a) vel nepos b) fuit antecedentis) sex centones varii argumenti ad VINCENTIUM GONZAGAM Mantuæ Ducem, quas edidit & laudavit ANT. POSSEVINUS.

II:O SIXTI SEMENSIS, ordinis Prædicatorum, Cento in Psalmum CXVI. in quo invitatur univ-
 sum mortalium genus ad celebrandum Deum propter
 misericordiam generi humano in Christi nativitate ex-
 hibitam: quem ex Bibliotheca auctoris sancta c) in-
 tegrum exhibebimus:

Æ. 6. *Quæ terras tractusque maris longo ordine
gentes Æ. 8.*
 Æ. 6. *Incolitis, variae linguis, habituque per or-
bem, Æ. 8.*
 G. I. *Qua redit a nobis aurora diemque reducit,*
 G. I. *Et qua sera rubens accendit lumina vesper,*
 Æ. 8. *Communem celebrate Deum, pœana canentes, Æ. 6.*
 Æ. 6. *Magnanimi heroës, pueri innuptæque puellæ,*
 Æ. 6. *Matres atque viri, tantarum in munere lau-
dum Æ. 8.*
B. 4.

a) Sic MORERI, Supplément T. I. p. 395.
 b) FABRICIUS l. c. p. 324.
 c) p. 331.

- B.4. *Ipsi lætitia voces ad sidera ferte;* B.5.
 B.4. *Quod nova progenies coelo descendit ab alto,*
 Æ.8. *Attulit & nobis longo post tempore tandem* B.5.
 Æ.8. *Auxilium adventumque Dei, cum femina primum*
 Æ.1. *Virginis os habitumque gerens, mirabile*
dictu, Æ.2.
 B.8. *Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edit,*
 B.4. *Nascentem puerum, coeli cui sidera parent.* Æ.10.

In quo, præter parodiæ libertatem, offendunt etiam alia.

(12:0 Anonymi cujusdam apud STEPHANUM a) centones duo (quos vera poëseos musiva opera fas esset appellare), ex VIRGILIO, OVIDIO, JUVENALI, & aliis forte, elegiaco carmine contexti, alter de expiatorii ignis *αἰγυλοποιεῖα* (purgatorio), alter adversus eos, qui Christianam fidem ore profitentur sed doctrina & factis negant. Horum ille, 46 continens versiculos, abrupte satis incipit:

*Hæc postquam mandata dedit perfectæ sacerdos,
 Protinus ad manes ora referre juvat.*

Sequitur, paucis interjectis, ipsa inamoeni loci imago:

*Ac velut inclusi cæco conduntur in antro,
 Nescio quid torvum vel furiale vident.
 Quod vivunt totum in poena est, uruntur & æstu,
 Omne per ignem illis excoquitur vitium.*

C

Mi-

a) Libr. cit. p. 124-126.

Mirari vero convenit, centonis hujus fabrum, si-
ve serio sive per ironiam scripserit, Lenæo, Cha-
ronte, Plutone carere in exiguo poemate non po-
tuisse.

Alter cento brevior est, versuum viginti sex,
quorum optimi sunt isti:

*Sperne fidem: provolve deos: mendacia vincant:
Qui dare multa potest, credere multa potest.*

13:0 SAMUELIS POMARIJ, cento Virgilianus de
lapsu generis humani, nec non de agone & captivi-
tate Christi, Magdeb. 1581, 8:0.

14:0 FULVII URSINI in laudes Benedicti Ægii
Spoletini Virgiliocento, de quo videri possunt Mena-
giana & Bibliotheca FABRICII.

15:0 OTTONIS GRYPHII, Ratisbonensis, vita
Christi Virgilianis centonibus scripta, Ratisb. 1594,
4:to.

16:0 PETRI AUGESPERA DE PAUMARICO, Cala-
bri, Libri quatuor de passione Servatoris, ex VIR-
GILIO pariter confecti a).

17:0 HENRICI MEIBOMII Virgiliocentones, quos
cum FALCONIÆ & CAPLUPORUM præceptisque
ROSCII, Helmstadii 1597, 4:to, publici juris fecit.

18:0 JOHANNIS BAPTISTÆ SPADII, (*Spada*),
Ita-

a) MORERI I. c.

Itali a), centones Virgiliani varii, in quibus laudatur imprimis vita S. Raymundi Pennafortii, Ordinis Prædicatorum Magistri generalis. Una prodierunt Placentiæ 1614, 4.to.

19:0 STEPHANI PLEURII (*Etienne de Pleurre*), Canonici Parisiensis, Æneis Sacra, Paris. 1618 Speciminis instar brevior erit, qui de adoratione Magorum inscribitur, locus:

- Æ. 6. *Ecce autem primi sub lumina solis & ortus,*
 Æ. 2. *Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit*
 Æ. 5. *Signavitque viam coeli in regione serena.* Æ. 8.
 Æ. 8. *Tum reges (credo quia sit divinitus illis* G. 1.
 G. 1. *Ingenium & rerum fato prudentia major)*
 Æ. 7. *Esterni veniunt, quæ cuique est copia, lati,* Æ. 5.
 Æ. 2. *Munera portantes molles sua thura Sabæi* G. 1.
 Æ. 3. *Dona dehinc auro gravia, myrrhaque ma-*
dentes Æ. 12.
 Æ. 9. *Agnovere Deum regem regumque parentem.* Æ. 6.
 G. 1. *Mutavere vias; perfectisque ordine votis* Æ. 10.
 Æ. 6. *Insuetam per iter spatia in sua quisque reces-*
sit. Æ. 12.

20:0 ALEXANDRI ROSSÆI b) Aberdonensis, Psychomachia Virgiliana & libri XIII. Christiados, sub
 C 2 ti-

a) Monachum fuisse perhibet FABRICIUS p. 385. Cardinalem & Episcopum MORERI, Supplément T. II. p. 527.

b) Rosso, sed ut videtur perperam, idem appellatur in magno Encyclopædiæ opere Gallico, Art. *Centon*, unde & Pleurianum centonem decerpimus.

titulo Virgilii Christiani sive Evangelifantis quater editi a). Item Virgilius triumphans, ubi encomiasticum legitur carmen, quod VIRGILIUM ex ipso plerumque VIRGILIO alloquitur & laudat.

21:0 DANIELIS HEINSII, Belgæ, Cento Virgilianus vel Idyllion ad amicum (DOMINICUM BAUDIUM), cui ex congressu cum ancilla prolès erat nata. Exstat in BAUDII Amoribus, Lugd. Bat. 1638 p. 77-80.

22:0 ÆGIDII BAVARII, Belgæ, Musa Maronis Catholica, seu Catechismus, versibus Virgilianis, Antverp. 1622, 12:0; nec non Passio Christi versibus Maronianis descripta.

23:0 BERNARDI RAMAZZINI, Carpenfis, Medici, Cento e Virgilio de Bello Siculo ad Regem Galliæ LUDOVICUM XIV. Mutinæ 1677, 4:0

24:0 JOANNIS CZERNOVICENT, Pragensis, cento de Imperatoribus Austriacis, itidem ex Marone.

25:0 *Sibyllæ Capitolinæ* (Pseudonymi) Publii Virgilii Maronis Poëmation Libris IV., interpretatione & notis illustratum a S. L. Oxon. 1726, 8:0. Satira est.

a) Duas editiones recenset FABRICIUS l. c. Adfunt præterea Tigurina 1664, 12:0 (quæ inscribitur A. R. Virgilius Christianus s. Virgilii evangelifantis Christiados Libri XIII. in quibus omnia, quæ de Domino nostro Jesu Christo in utroque Testamento vel dicta vel prædicta sunt, altifona divini Maronis tuba suavissime decantantur, & novissima Berolinensis 1764, 8:0.

est in bullam CLEMENTIS XI. Papæ Unigenitus, quam contra QUESNELLUM anno 1713 evulgaverat a).

Non intulimus huic centonariorum centonumque catalogo vel MARCUM HIERONYMUM VIDAM, Cremonensem & Albæ Episcopum, vel LAURENTIUM LE BRUN e Societate Jesu, quorum ille Christiados Libros VI. Cremonæ anno 1535 b), hic Virgilium Christianum, in quo res IGNATII LOJOLÆ gestas enarrat, Parisiis anno 1660 emiserat, quoniam se Maronis quidem imitatores, centonariæ vero, quantilla demum illa fuerit, laudis nequaquam cupidos profiterentur.

In hac autem centonum poëticorum, quamvis non parca, cohorte tot exstare ad divinæ religionis argumenta detortos, non mirabitur qui noverit, quam infesto sæpe profanæ sapientiæ odio flagaverint, & quam officioso, licet non semper prudentissimo, studio sanio rem fidem promotum iverint prisicorum maxime temporum homines. Quid? quod nec recentiori ævo defuere, qui talem paganæ poëseos
in

a) FABRICIUS l. c. p. 386, ad quem alioqui toties provocare, quoties rerum testimonia præbuit, molestum fuisset.

b) Editi deinde Lugd. B. 1636, 8.o, & cum Operibus auctoris omnibus ibidem 1541, 8.o Lond. 1722, 4.o. *Sancti Christiados est un ouvrage plein d'esprit & de piété.* MORERI Dictionnaire historique Amst. 1702 T. IV. p. 538.

in sacram conversionem laude cumularent, PROBAM-
que istam FALCONIAM ostendisse, qua ratione scri-
pta gentilium sacros in usus vertere oporteat, puta-
rent a). Sed

— — — — *varias inducere plumas*
undique collatis membris, — — — —

aliorum semper non placitis tantum sed & verbis in-
hærerere, iudicio nunquam suo stare, res antea dictas
non luculentius, non plenius, non fortius, non lima-
tius dicere, sed ignavo labore repetere, non stilum
rebus, sed rem stilo aptare, sectari flosculos, phrases
confarcinare, alienis ditari spoliis & nativam dictio-
nis virtutem propria industria perpoliendam negli-
gere, in quocunque demum argumento id fiat, ride-
tur merito atque ignobile manet & illaudatum. Non
sic scilicet ad astra itur, non sic divina forman-
tur ingenia, non sic MARONES sed Durencranii b)
fus-

a) Diff. ERICI HEDENBERG de Poëtis christianis primorum
seculorum, Præf. LAUR. HYDRÉN, Upl. 1752 p. 12.

b) Durencranium ipsum, non totum quidem fictum, sua in-
canendi & pulcri iudicandi arte fata enarrantem loquen-
tem audiamus: *Jag tog ner alla mina böcker af bok-
byllorna, och satte mig att genomblåddra dem. Allt
hvad pbras, allt hvad sentens var, som möjligen kunde
passa att ingå i ett arbete, ifrån åtta raders längd till
två ords, excerperade jag, på originalspråket, med au-
törens namn under. Ingenting var så lättbittadt,
så sjelfbegripeligt, hvarom jag, genom auctoritet och i*

fulscitabuntur & posterorum commendabuntur me-
moriam.

något främmande tungomål, ej försåkrade mig att det gick an att säga. De utslitnaste talesätt, sådana som t. ex. tiden flyr, solen går opp, vädret blåser, fönnen vederqvicker, den gröna marken, den blå himmelen, det flitiga biet, allt hade jag tagit någonstädes: ingenting var tänkt af mig, utan viktigt sagt af någon annan författare, som jag blott eftersade. Den svartaste afund skall ej bevisa mig att någon enda mening verkligen tillhörde mig, eller att något annat var vid allt detta mitt verk, utom öfverflyttningen i det språk jag påstod att skriva, och den litet besvärliga sammanklistringen af alla dessa otaliga tankebitar, hvilken jag med ett om, ett icke, ett som, ett af &c. likväl ofta lyckligt nog tillvägabrakte. Läsning i blandade ämnen N:o 7, 8 p. 51.



Errata.

In parte hujus Dissertationis prioris:

Pag. 7. lin. 1. pro *fuisse* leg. *fecisse*.

In parte ejusdem posteriori:

Pag. 14. excidit ante lin. 9. *Æ. 1.*

